



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij

Romae, 1658

Volumnius Bandinellus Patriarcha Constantinopolitanus Assistens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

etiam induci in montem sanctificationis, quem bene super egenos intelligens acquisiuit sibi dextera eius.

Successiuè omnes Prælati simul assurrexerunt, & stantes, singuli his verbis sua suffragia tulerunt.

Volumnius Bandinellus Patriarcha Constantinopolitanus Assistens.

Beatu Thomas de Villanoua, quem Pontifex sempiternus cumulata virtutum omnium iustitia, & miraculorū ostentis largè ditauit, & mox Ciuem Sanctorum, & cœlestis Aulae domesticum, syderum sufragijs asseruit; auspicijs tuis, Beatissime Pater, iure datur in exemplum sacris Ecclesiae Præsulibus, vt frigescenti Charitati, ac Pietati propèmodum collabenti opportunè succurrat. Cum Templum Lateranense fatisceret, Sanctorum illud supposita ceruix, humerique fulserunt. Ruentem Ecclesiae disciplinam instaurant exempla Sanctorum. Nihil enim ad sanctitatem magis inflammat, quàm illustre sanctitatis exemplum. Meritò nunc ille, qui per ardua quæquè, Sanctorum imitatus est normam, nobis proponitur imitandus. Quapropter nèdum censo Beato Præfuli venerationem, cultumque deberi fidelium; sed gloriator in Domino, quòd mihi feliciter contigerit in hoc sacrosancto confesso, velut æternis Ecclesiae tabellis, humile suffragium apponere.

Aegidius Columna Archiepiscopus Amasiensis Assistens.

Si quis miseretur pauperis, beatus erit, vt Diuina canunt oracula. Beatus Thomas à Villanoua, qui omnem suam substantiam dispergens dedit pauperibus, meritò à S. V. inter Beatos Coelites referri debet, vt iustitia eius maneat in seculum, seculi.